



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Ejusdem epistola ad Abbates & monachos Gothiæ in causa Felicis Episcopi
Vrgellensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

pacem rumpere pessimum est, ita veritatem negare blasphemum. Multum sibi denique concinunt verax unitas & pacifica veritas.

XII. Hæc & ejusmodi reor inculcanda simplicibus, eò quod ignorantia veritatis cogat errare quam plurimos. Porro veritate manifestata, contrarii confundentur, amici solidabuntur, universi verò pariter excusatione carebunt.

Ista supplico dignanter ac diligenter inspicite. Vestræ siquidem fidelitatis immensitas parvitatem meam reddit impatientem pro vobis, facit etiam supra vires audentem. Enimvero fidem non perdit nisi qui nunquam habuit. In cujus manu sunt Reges & jura regnorum, ipse coronas vestras multiplicet, tueatur, obumbret.

EIVSDEM EPISTOLA

A D

ABBATES ET MONACHOS GOTHIÆ.

Epistola Albini Diaconi missa Geticis Abbatibus vel monachis de Dei & hominis unigeniti filij Dei persona.

ALBINVS humilis Christi famulus & serviens sancti Martini omnibus Abbatibus, fratribus & filiis qui sunt Gothiæ partibus in Christo carissimis, æternæ beatitudinis salutem. Acceptis dulcissimis vestræ beatitudinis litteris, simul & suavissimis nimirumque nobis necessariis sanctarum orationum vestrarum muneribus cum omni gaudio

& mentis alacritate, & magnam verè habens fiducia per vestras sacratissimas intercessionem ad Iesum Dei filium, qui pro mundi salute homo dignatus est fieri, ita ut qui Deus æternaliter ex patre natus est, temporaliter nasceretur ex virgine, & idem esset homo qui & Deus, & idem Deus qui & homo, & non esset nulla separatio personæ vel filietatis, ne essent duo filij, unus proprius, & alter adoptivus, aut duo dij, unus verus Deus, & alter nuncupativus. quod omnino impium est credere & prædicare. Quia Dei filius in proprietate personæ & filij dignitatis adunivit sibi hominem ut esset unus Christus & unus Deus & unus Dei filius, totus in suis, & totus in nostris, perfectus in divinitate, & perfectus in humanitate. Quod multis testimoniis evangelicis vel apostolicis vel etiam sanctorum patrum traditionibus comprobari potest, sicut in libello ex parte factum est quem direximus per beatum Benedictum vobis ad solatium & confirmationem fidei catholicæ. Sed in manibus majus modò habemus opus propter alias causas quæ in libello venerandi Felicis legimus; & illum volente Deo vobis dirigimus, postquam lectus & comprobatus fuerit ab Episcopis nostris & domno Rege. Interim vestra sanctitas nos adjuvet sacrosanctis orationibus vestris, ut Dominus Deus aperiat nobis agnitionem veritatis & fiduciam prædicationis & constantiam in fide catholica. Multùm enim valet deprecatio iusti, quanto magis & plurimorum. Hæc novitas vocum in adoptione nuncupatione Christi omnino fidelibus omnibus detestanda est, & magnopere cavenda hæc divisio in Christo Domino nostro. Scimus duas naturas perfectas esse in Christo, & unam personam mortalem immortalẽque eundem esse; sicut homo mortalis est carne, immortalis anima, tamen

unus est homo & una persona & unus filius patris sui totus proprius, & dividi non potest, quod sit partim nuncupativus homo, & partim verus homo; ita & Christus, licet sit carne mortalis & divinitate immortalis, tamen unus Iesus Christus, & unus Dei filius, sicut dixi hominem esse unum filium, licet carne sit mortalis & anima immortalis. & nullatenus unus filius uno patre potest esse utrumque & proprius & adoptivus. Etsi est unus filius Deus Christus in una persona, omnino aut totus est proprius, aut totus adoptivus. Sed melius est ut propter illam excellentiam naturam Dei filius, qui proprius & æternus est, sit humanitas adsumpta in proprietatem filij, quàm propter humanitatem Dei filius æternus humilietur in adoptionem. Omnino proprius filius & adoptivus unus esse non potest ad unum patrem, ad duos autem potest. Hæc considerantes diligentius, & animo tenete firmiter & constanter prædicare unum filium & unum Deum, eundem proprium & verum perfectumque esse, quia omnis veritas in Christo est, & nullum figmentum, & tota plenitudo divinitatis, & nulla minoratio nec defectio, nec eum, sicut in libello præfati Felicis lectum est, baptismo indiguiffe, sed mox sine peccato & omni labe peccati spiritu sancto conceptum esse Deum verum & hominem verum. Et si beata virgo proprium potuit generare sibi filium, qui fuit ex æterno Dei filius, quomodo non potuit Deus pater habere hominem filium proprium qui ex tempore natus est ex virgine? Unus omnino est in utraque natura ad utrumque parentem Christus & filius Dei proprius. Quæ omnia plenius, opitulante eodem Deo quo nobis sermo est, lecturi eritis in eodem libello quem modò in manibus habemus. Tantùm in fidei firmitate & nil hæsitantes: quia sine fide impossibile est Deo placere,

Hebr. ii.

ut Apostolus ait. Caritatem fraternam instantissime inter vos servate, & unitatem in omni catholica pace & fide recta & humilitate non ficta. Et obedientiam vestram secundum propositum regularis vitæ omni studio servate, & stabiles estote in locis vestris, ubi vosmetipsos dedistis Deo. Et nolite deserere monasteria vestra & vagari per seculi vanitates. Tempus enim hujus vitæ breve est, & non sunt condignæ passionibus hujus seculi ad superventuram gloriam. Non debet vestræ beatitudini Christi jugum durum videri vel onerosum, sed leve & suave, sicut ipse ait: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve est.* Non qui cœperit, sed qui perseveraverit, salvus erit. Revocate ad mentem Iudam ex Apostolo proditorem factum. Considerate Saulum ex persecutore prædicatorem effectum. Mementote Malchum monachum, cujus historiam beatus Hieronymus nunc edidit epistola, quomodo quasi pietatis intuitu egressus est à monasterio relinquens patrem suum, & in quales pervenit postea tribulationes, vel qualiter planxit monachum in heremo quem perdidit in monasterio. Rarò diabolus aperta fronte pugnat contra servos Dei, sed sub figura pietatis, quasi majoris sit utilitatis exire de monasterio quam permanere. Ovis quæ de ovile egreditur & à pastore recedit, lupi patet moribus. Melius est non votere quam vota non implere. Dicit scriptura: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* Verax est Deus in promissionibus beatitudinis quæ diligentibus se promittit. Et verè dicis. Reddet promissa veritatis. Mementore Apostolum dicentem: *Fratres, stabiles estote & immobiles.* Et iterum: *Qui stat, videat ne cadat.* Stabat Iohannes quando Christum eernebat. Ideo, fratres carissimi, vigilate & state in fide, viriliter agite, & confortetur cor vestrum in omni opere bono. Et

Matth. xi.

Matth. 10.
& 24.

Psal. 75.

1. Cor. 15.

1. Cor. 10.

psalmista : *Expecta Dominum , viriliter age , confortetur cor tuum , & sustine Dominum.* Quid est *Expecta Dominum*, nisi , Stabili mente expecta , donec tibi veniat dies remunerationis. Fac omnia opera viriliter , & confortetur cor tuum in permanendo quod cœpisti , & sustine Dominum. Quicquid à te tribulationes vel labores permittit sustine viriliter. Multæ sunt tribulationes justorum , & de his liberabit eos Dominus. Nullus labor amanti Deum durus videatur ; quia ille est remunerator fidelis , qui est auxiliator idoneus , qui nunquam deserit sperantes in se. Respondeat homo suggestionibus diaboli : Dominus auxiliator mihi est , non timebo quid faciet homo , id est , carnalis delectatio. Item : *Declinate à me maligni , & scrutabor mandata Dei mei.* Et iterum : *Auxilium meum à Domino , qui fecit calum & terram.* Dominus custodiat introitum & exitum servorum suorum ex hoc nunc & usque in seculum. Hæc , carissimi fratres , feliciter legite & fideliter implete , & Dominus Deus vos adjuvet & proficere faciat in omni bono , & exaudiat orationes vestras pro omnibus & pro me fideli vestro adjutore , & Dominus Deus custodiat vos in aeterna pace & caritate perfecta , viri fratres & filii carissimi.

Psal. 26.

Isa. 50.

Psal. 55.

Psal. 118.

Psal. 120.

